

Episcopos iubeant ut ad pastoralem rationem ordinandam communi studio, socia compositaque opera expediantur.

Cum insuper Concilium Oecumenicum Vaticanum II suaderet ut coetus Episcoporum novo robore vigerent, iidem sacrorum Antistites ab Apostolica Sede postulaverunt ut omnes in unam coalescerent regionis pastoralis Conferentiam.

Summus Pontifex Paulus, Divina Providentia Pp. VI, audita Conferentia episcopali Italiae, ratus huiusmodi consilium christiana rei bono valde profuturum, porrectis precibus benigne annuit et restitutam Conferentiam Aemilianam-Flaminiam ratam habet, duobus exstantibus Episcoporum coetibus in unum compositis.

His super rebus praesens edi iussit Sacrae Congregationis pro Episcopis Decretum, perinde valitulum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 8 mensis decembris 1976.

+ SEBASTIANUS Card. BAGGIO, *Praefectus*

L. S.

+ Ernestus Civardi, Archiep. tit. Serdicen., *a Secretis*

Riordinamento delle Provincie ecclesiastiche della Regione pastorale "Emilia-Romagna",

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROT. N. 670/70

AEMILIANA - FLAMINIA DE NOVA CIRCUMSCRIPTIONE PROVINCiarum ECCLESIASTICARUM IN REGIONE PASTORALI

DECRETUM

Ad maius Christifidelium spirituale bonum promovendum, sacrorum Antistites civilis regionis Aemiliana-Flaminiae, normis Decreti Sacrosanti Concilii Oecumenici Vaticani II « Christus Dominus » sub

n. 40 obsequentes, unanimi consensu ab Apostolica Sede postulaverunt ut provinciarum earum ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscerentur.

Summus Pontifex Paulus, Divina Providentia Pp. VI, ad Sanctae Matris Ecclesiae profectum et animarum salutem sollicita mente intenden^ts, praehabito favorabili voto Episcoporum quorum interest, porrectis precibus annuere dignatus est.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis, quae sequuntur statuit ac decernit.

Dioeceses supra commemoratae regionis quae nunc Apostolicae Sedi immediate sunt subiectae, provinciae eisdem viciniori aut opportuni^riori aggregantur et sub iure metropolitani Archiepiscopi ad normam iuris communis subiciuntur. Et quidem:

Fidentinam, Placentinam et Parmensem dioeceses Metropolitanae Ecclesiae Mutinensis suffraganeas constituit;

Ferrariensem Ecclesiam, quin aliquid immutetur de archiepiscopali dignitate, Metropolitanae Ecclesiae Bononiensi adnectit.

Denique Comaclensem dioecesim a provincia Ravennatensi distractit et provinciae Bononiensi ascribit.

His super rebus praesens edi iussit Sacrae Congregationis pro Episcopis Decretum, perinde valitum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 8 mensis decembris anno 1976.

+ SEBASTIANUS Card. BAGGIO, *Praefectus*

L. S.

+ Ernestus Civardi, Archiep. tit. Serdicen., *a Secretis*